Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt. Vale:

~ Isota Nogarola ~

ISOTA Nogarolla pritio adolescenti Nicolao
Venerio s. p. d. Nuper allate litere tue vehementer
me delectarunt. Ferunt enim prese, et naturam prestantissimam,
quod est ingenii, et disciplina vigillantem, atque solertem,
quod est studii, et dilligentie. Itaque in quidem contingit
etatem istam tuam tuam, et sensum earum literarum consideranti,
ut admirabilis quedam, ac plane super annos hec tua
maturitas videretur. Nec vereor, si modo tu ipsi non de-
fueris, precellentissimum te virum esse evasurum. Quam-
obrem invigila quaeso, ac per singulos dies adde insuper
aliquid, et accumula considerans per magna in his studiis
premia tibi esse proposita ad constitutionem vite, ac nominis
cellebritatem, et gloriam. hec non sunt bona huiusmodi,
que fur capere possit. prescriptio tollere, que et accedere possit
ad instar undarum et fluctuum a succedentibus sibi duis
occupentur. hec bona hostis non invadere potest. Demetrius
cum Stillonis philosophi urbem solo equasset, eum interrogavit
an suarum rerum quicquam amisisset, cum Stilbo. Nihil
equidem. Bellum enim nulla ex virtute spolia ducit. Quid
etiam est aliud in quo vere gloriari possimus, nisi in his
que nobis virtutum studiis comparemus. Nostra etenim
ista sunt, nostro ope, nostra cura, et vigilliis parata, que
neque vivo, neque mortuo aufferri possunt. hec virtus
ipse vera, et solidam continet dignitatem. hec te quoque
meritis, preterque, et fortune donis, et omnibus vulgi fav-
oribus anteponit. Dicitur enim omne fortuna esse amicum
sapientis. Dictum est quoque ab eruditissimis neminem liberum
esse nisi sapientem. Quanta namque ob hanc rationem
maiorum nostrorum discendi fuit aviditas historie te-
stantur. Euclidis philosophi tanta sciendi cupiditas erat,
ut cum cavissent Athenienses decreto ut qui meg-
aris civis esset, si Athenas pedem inferre ausus
esset, ea res ei capitalis esset. Is pannifacto periculo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1592/0199
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG